

62
THESES THEOLOGICÆ,
DE JUSTIFICATIONE HOMINIS

peccatoris coram Deo: ex dicto Pauli ad Rom. 3. v. 28.

Arbitramur igitur, fide justificari hominem,
absq; operibus Legis.

De quibus

ASPIRANTE GRATIÂ NUMINIS DIVINI,

Præside

Dn. JOHANNES MOL-
THERO, SS. THEOL. D.
ET HEBRÆARUM LITERARUM
in illustri Academia Marpurgensi
Professore,

Kaddisham publicè respondebit

BERNARDUS CONRADI RHEINEN-
SIS WESTPHALUS.



MARPURGI HESSORUM,
Ex officina Pauli Egenolphi, Typogr. Academ.

MDCXI.



*SPECTATISSIMIS, VARIOq^{ue} RE-
rum usu celeberrimis viris,*

DD. CONSULIBUS, ET SENATO-
RIBUS INCLYTÆ REIPUBLICÆ, QUÆ EST
RHEINÆ IN WESTPHALIA, MODERATORI-
BUS PRUDENTISSIMIS.

NEC NON

Ornatissimis & præstantissimis viris,

Dn. GERHARDO CONRADI, Patri suo reverenter
colendo.

Dn. JOHANNI BERTELINGIO, ejusdem Reipublicæ
Secretario fidelissimo, consobрино suo amantissimo.

Dn. RUTGERO KROP, affini suo charissimo.

Patronis & fautoribus suis,

Disputationem hanc de justificatione
hominis peccatoris coram Deo,

*In subjectionis & reverentiæ munusculis,
gratitudinis oneribus, & studiis Acade-
mici magisterii,*

offert, & inscribit

¶.

SS (*) SS



MDCL

DE JUSTIFICATIONE HOMI-
nis peccatoris coram Deo.

THESIS I.



COGNITIO Personæ, Officii & Beneficiorum Mediatoris, Domini nostri Jesu Christi, tota huc tendit: ut Homo peccator coram Deo justificetur, & vitam æternam consequatur. *Esaiæ 53. v. 11.* In cognitione sui justificabit iustus servus meus multos. *Johan. 17. v. 3.* Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, JESUM CHRISTUM.

2. De justificatione igitur Hominis peccatoris coram Deo, nunc dispiciemus, eamq; doctrinam breviter repetemus ex dicto Pauli *ad Rom. 3. v. 28.* *Ἀπολύεται ὁ πῖστις διὰ τοῦ ἀνθρώπου, χωρὶς ἔργων νόμου.* Arbitramur igitur Fide justificari hominem, absq; operibus Legis.

3. In brevem enim hanc sententiam universam doctrinam justificationis, tanquam in compendium ab Apostolo contractam & conclusam esse, manifestè ostendit particula Rationalis ὅτι, ergo: pro qua tamen exemplaria quædam perperam subjiunt causalem, & ὅς legunt: quam lectionem veterem Interpretem etiam secutum apparet: sic enim reddidit: Arbitramur enim.

4. Dum igitur dicit *διὰ τοῦ ἀνθρώπου* justificari hominem: non loquitur de homine converso & renato: sed *ψυχῇ* animali, *1. Cor. 2. v. 14.* qui adhuc est caro & sanguis, *1. Cor. 15. v. 50.* de quo scriptum est, *Johan. 3. v. 6.* Quod natum est ex carne, caro est. Impium intelligit, *Rom. 4. v. 5.* Qui justificat impium & inimicum

Dei, *Rom. 5. v. 10.* Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo.

5. Testificans autem talem hominem opus habere justificatione: non omnem homini animali iustitiam derogat: sed eam tantùm, quæ coram Deo valeat. Loquitur enim de iustitia Dei, *Rom. 1.* Iustitia Dei in ea revelatur, id est, quæ veniat in conspectum & iudicium Dei, *Rom. 3. v. 20.* Non iustificabitur omnis caro *ἐνώπιον αὐτοῦ* coram illo.

6. Est enim quædam iustitia carnis, quæ continetur externa quadam Legis Moralis, atq; cōstitutionum humanarum obedientia: quam non solum secuti sunt Pharisei & Scribæ inter Judæos: juxta illud *Lucæ 18. v. 11.* Phariseus stans, sic apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quòd non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus: sed etiam inter Paganos virtutis & honestatis studiosi: qui sedulo curarunt, ne quis fur esset, ne latro, ne quis adulter: ut Horatius inquit. Gentes enim quæ legem non habent, naturaliter faciunt ea, quæ legis sunt: atq; ita ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, *Rom. 2. v. 14.*

7. Et hanc iustitiam carnis Deus probat: & non solum temporalibus præmiis ornat, *1. Reg. 21. v. 29.* Non vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus: & vicissim violationem externæ disciplinæ temporaliter punit: ut exemplum Ninivitarum ostendit, *Jonæ 3. v. 4.* sed minus etiam in inferno cruciabuntur, qui eam coluerunt: sicut enim in cœlo sunt gradus præmiorum, *1. Cor. 15. v. 41.* Stella à stella differt claritate: sic & resurrectio mortuorum: ita quoq; in inferno sunt gradus poenarum, *Matth. 11. v. 22.* Tyro & Sidoni ἀνελεῖσθαι εὐεστὰ tolerabilius erit, *ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως* in die iudicii, quàm vobis.

8. Et valdè necessaria est huiusmodi externa obedientia, non solum ad vitam civilem commodius degendam: sed etiam ad Evangelium majore cum fructu divulgandum. Ubi enim
nulla

nulla viget externa disciplina, vix quicquam proficit prædicatio Evangelii. Unde quoque Christus in nomine suo prædicari iussit, non solum remissionem peccatorum, sed etiam poenitentiam, *Luc. 24. v. 47.* Poenitentia enim prima sua rudimenta ducit à justitia carnis.

9. At in iudicio Dei nihil ea quicquam valet. In eo enim universæ justitiæ nostræ sunt (*Kefeged iddim*) sicut vestis Centonum, *Esa. 64. v. 6.* id est vilissima & abjectissima, qualis est menstruata. Vetus interpres hic sensum magis expressit, quam verba. Unde Christus, *Matth. 5. v. 20.* Nisi abundaverit justitia vestra, pluriusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis regnum cælorum. Extra casum introeundi regnum cælorum, Christus justitiam Phariseorum, cæteris paribus, non rejicit: ne externam quoque disciplinam eum rejecisse putemus.

10. Causa verò quòd in iudicio Dei justitia carnis consistere non potest, hæret partim in eo, qui operatur illam, partim in ipsa. In operante: quia is nondum est renatus, & cum Deo reconciliatus. Ut enim aliquod opus nostrum sit *θεάρετος* (Deo placens) à filiis illud fieri oportet. In ipsa: quia modis omnibus imperfecta & contaminata est, & infinitis *parafrasis* ab ea integritate imaginis divinæ distat, quæ à nobis in iudicio Dei efflagitur.

*in mensura viarum
triginta gradiorum.*

11. Sed unde hæc est tanta miseria? quòd nemo hominū ex se coram Deo justus est? Nam præcausati sumus, inquit Paulus, Judæos & Græcos omnes sub peccato esse, *Rom. 3. v. 9.* Omnes peccaverunt, & destituuntur gloria Dei, *v. 23.* Natura sumus filii iræ, *Ephes. 2. v. 3.* & mortui peccatis, *v. 5.* Responsio in promptu est: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, *Rom. 5. v. 12.* & per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, *v. 19.*

12. Quod non sic accipiendum est, quasi rei simus coram Deo, vel solo reatu Adami, id est, ob alienam culpam: vel

sola similitudine (imitatione) prævaricationis Adæ: sed ideò sumus rei, qui destituimur gloria Dei, quæ in nobis relucere debebat: id est, concreatâ illa iustitiâ & sanctitate imaginis divine: quam Adamus protoplastus amisit & sibi & omnibus suis posteris. Genuit enim filium ad imaginem suam, *Gen. 5. v. 2.* quæ fuit imago Dei modis omnibus contaminata & destructa: ut vix reliquia ejus supersint rudera.

13. Hinc est quòd David, vir secundum cor Dei, *Act. 13. v. 22.* in semetipso tristissimam naturæ ruinam agnoscens, tanquam unicum fontem suarum transgressionum, exclamet: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis calefecit me mater mea, *Psal. 51. v. 7.* Et *Jobus 14. v. 4.* Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? Et Paulus, *Rom. 7. v. 18.* Scio, inquit, quia non habitat in me, id est, in carne mea, bonum.

14. Quemadmodū igitur omnes homines naturali modo propagati, habent peccatum: sic etiam rei sunt non solum mortis temporalis, sed etiam æternæ, juxta severissimum illud Dei pronunciatum: Morte morieris, *Gen. 2. v. 17.* Hinc est illud Davidicum, *Psal. 130. v. 3.* Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Et *Psal. 143. v. 2.* Non intres in judicium cum servo tuo: quia nō justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

15. At quando Paulus dicit *δικαίωσις ἀνθρώπων*: justificari hominem: ostendit non prorsus conclamatum esse de genere humano, in tantis miseriis naturaliter harente: sed superesse spem salutis, & rationem emergendi ex tantis malis, naturaliter hominem circumstantibus: unde quoq; Ecclesia confitetur: Remissionem peccatorum, resurrectionem carnis, & vitam æternam.

16. Quænam verò illa ratio? *δικαίωσις* seu *δικαίωμα* justificatio. Quò minus enim homo pereat, sed habeat vitam æternam, justum esse oportet. Non enim in sanctam civitatem illam, in Jeru-

Jerusalem novam, introibit aliquid inquinatum, aut abomina-
tionem faciens & mendacium, *Apoc. 21. v. 27.*

17. Etsi autem hæc omnium hominum præcipua cura
esse debet, ut primum quærant regnum Dei, & justitiam ejus,
Matth. 6. v. 33. & operentur cibum, qui non perit, sed qui perma-
neat in vitam æternam, *Joh. 6. v. 27.* imò cum metu & tremore
salutem suam operentur, *Phil. 2. v. 12.* Ea tamen justificatio, qua
Deo placemus, non est opus hominis proprium, sed Dei. Deus
impium justificat, *Rom. 4. v. 5.* & mundum facit ex immundo con-
ceptum semine, *Joh. 1. v. 4.*

18. Qualem quidem & quantam justitiam Deus ab eo
efflagitet, qui vitam & salutem expetat, lege sua ostendit, *Levit.*
18. v. 5. Custodite leges meas atq; judicia, quæ faciens homo vi-
vet in eis. Et Christus uni respondens, *Matt. 19. v. 17.* Si vis vitam
ingredi, inquit, serva mandata.

19. Sed neq; Deus legem dedit, quæ vivificare possit, *Gal.*
4. v. 21. Sic enim evacuasset promissionem 430. annis antea
datam: neq; legem quisquam hominum implere, atq; ita justi-
tiam ejus consequi potest. Infirmatur enim per carnem, *Rom. 8.*
v. 3. Etsi igitur lex sancta, & mandatum justum, sanctum & bo-
num est, *Rom. 7. v. 12.* Ad justificationem tamen coram Deo usq;
adeò nihil confert, ut etiã manifestando peccatum, *Rom. 3. v. 20.*
reddat illud supra modum peccans, *Rom. 5. v. 13.* atq; ita malè di-
cendo, *Deut. 27. v. 26.* in servitutem generet, *Gal. 4. v. 24.* & tan-
quam malleus conterens petram, *Jerem. 23. v. 29.* occidat, *2. Co-*
rimth. 3. v. 6.

20. Quomodo verò justitia Dei ostensa in lege, nobis com-
parata sit, & nostra fieri possit, docet Evangelium: quod Chri-
stus prædicare jussit omni creaturæ, *Marc. 16. v. 15.* Evangelium
enim est potentia Dei ad salutem omni credenti: justitia enim
Dei revelatur in eo, ex fide in fidem, *Rom. 1. v. 16.* sicut scriptum
est: Justus fide sua vivet, *Heb. 2. v. 4.* Etsi autem sine lege justitia
Dei

Dei manifestata est: testimonium tamen habet à lege & Prophetis, *Ro. 3. v. 21.* Imò lex pædagogus ad Christū est, *Gal. 4. v. 24.*

21. Ratio igitur justificationis nostræ: ut non ex lege, ita neq; ex locis distantissimis requirenda est: cū eam in Evangelio patefactam habeamus. Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? aut quis descendet in abyssum? Quid enim dicit scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & corde tuo. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, *Rom. 10. v. 6.*

22. Ex Evangelio igitur, tanquam ex limpidissimo fonte, omnis ratio justificationis nostræ corā Deo, planissimè scaturit: indeq; petenda est. Justificatio enim est acceptatio, hominis peccatoris ad vitam æternam, quæ fit in nobis, non solum absolute ab omni reatu peccati, sed etiam perfectissimæ justitiæ donatione. Nam in se complectitur, tum *ὅλας τὰς* omnis mali, quod investum est per peccatum, tum *πάντα τὰ* omnis boni, quod per peccatum amissum est: quod *Daniel 9. v. 24.* vocat, deleri iniquitatem, & reduci justitiam sempiternam.

23. Sæpè tamen justificatio hominis describitur tantum per *ἀνάγκην* mali: subintellecta *θέσει* boni: quæ synecdoche quædam est scripturæ familiaris: ut *Psal. 32. v. 1.* Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.

24. Causa efficiens justificationis Deus est. Is enim justificat circumcisionem ex fide, & præputiū per fidem, *Rom. 3. v. 30.* Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, *Esa. 43. v. 25.* Revertetur & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra, *Micha. 7. v. 19.* Apud te propitiatio est, *Psal. 130. v. 4.*

25. Causa *πρόστυλον* est gratia Dei, juxta illud: Gratia salvati estis, *Ephes. 2. v. 8.* Justificamur gratis per ejus gratiam, *Rom. 3. v. 24.* Ubi per gratiam, intelligimus gratuitum Dei favorem & mise-

misericordiam : juxta illud *Ti. 3. v. 5.* Secundum misericordiam suam salvos nos fecit, &c. Ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae nostrae, *Ephes. 1. v. 6.* ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡμῶν ἐν τῷ ἡγιασμένῳ : gratos nos habuit in dilecto.

26. Causa *παραπτώσεων*, est miseria humani generis, lapsu primorum parentum introducta. Unde Ecclesia canit : Da jammert Gott in ewigkeit / Mein Elend über die massen. Er dacht an sein Barmherzigkeit / Er wolt mir helfen lassen. Commiseratus enim Deus tristissimam humani generis ruinam, promisit semen mulieris conculeturum caput serpentis, *Gen. 3. v. 15.* ἡ ἀλυσὶς τοῦ ἔρποντος ἐστὶν ἡ σὰντὸν, *1. Joh. 3. v. 8.*

27. Causa meritoria est obedientia Christi, tum Activa, tum Passiva. Activa : qua natus ex muliere, factus est sub lege, *Gal. 4. v. 5.* & non venit solvere legem & Prophetas : non venit solvere, sed adimplere, *Matth. 5. v. 17.* Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti, *Rom. 10. v. 4.* Ut justificatio legis impleretur in nobis, *Rom. 8. v. 8.* Passiva : qua ipse, qui peccatum non noverat, factus est pro nobis peccatum, id est, victima pro peccato : ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, *2. Corinth. 5. v. 21.* Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super ligno, *1. Petr. 2. v. 23.* Factus est obediens, usque ad mortem, *Philip. 2. v. 8.* & redimens nos non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso suo sanguine, tanquam agnus immaculatus & incontaminatus, *1. Petr. 1. v. 19.* tollens peccata mundi, *Joh. 1. v. 29.*

28. Causa instrumentalis respectu Dei, est Verbum & Sacramenta. His enim mediis, & quasi manibus, beneficium justificationis Deus nobis offert, applicat & obsignat. Verbum enim salvare potest animas nostras, *Jacob. 1. v. 21.* Unde verbum reconciliationis vocatur, *2. Cor. 5. v. 19.* Placuit Deo per stultitiam predicationis salvos facere credentes, *1. Cor. 1. v. 21.* Evangelium est potentia Dei (instrumentum per quod Deus efficax est) ad salutem omni credenti, *Rom. 1. v. 16.* Ita de Circumcisione Paulus

B

dicit,

dicat, eam fuisse Abrahamo *σφραγίδα* sigillum justitiæ fidei, *Rom. 4. v. 11.* Et de Baptismo: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, *Tit. 3. v. 5.* Mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo, *Ephes. 5. v. 26.* Et de sacra Cœna, panis quem frangimus, est *κοινωνία* (id est, *μετέωρε* participatio) corporis Christi, *1. Cor. 10. v. 16.*

29. Causa instrumentalis, respectu hominis, est Fides: quam solam Paulus in dicto præallegato exprimit: quod sic argumentum sibi propositum exigeret. Fide hominem justificari dicit. Nam credenti in eum, qui justificat impium, fides sua reputatur ad justitiam, *Rom. 4. v. 4.* Credentibus in eum, qui suscitavit Jesum à mortuis, fides sua reputabitur ad justitiam, *v. 24.*

30. Fides hæc justificans, est quidem notitia & assensus promissionis Evangelii: unde quoq; sæpè per notitiam definitur: sed insuper etiam est fiducia misericordiæ Dei, de remissione peccatorum, gratis propter Christum mediatorem donanda: accensa in cordibus hominum à Spiritu sancto, per verbum & Sacramenta: quæ tanquam extensa manus, apprehendit, & credentibus applicat, promissionem Evangelii, & omnia, quæ comprehenduntur in ea, bona: qualia sunt, remissio peccatorum, justitia, & vita æterna.

31. Dum autem dicit, fide justificari hominem, non loquitur de fide absolutè, sed *ἐκείνην*: quatenus ea nimirum apprehendit promissionem Evangelii: & in ea oblatam Dei gratiam & obedientiam ac satisfactionem Christi. Metalepsis igitur est, quando fides justificare vel salvare dicitur: quia non fides per se, sed id quod fide apprehenditur, justificat & salvat. Et fides imputatur ad justitiam, non secundum se, sed propter aliud, nimirum gratiam Dei, & merita Christi, quæ includit. Nam inde omne suum precium & dignitatem habet.

32. Dicit autem hominem fide justificari absq; operibus legis. Per legem intellige, non tantum Mosaicam, sed etiam naturam

turalem: & per Mosaicam, non solum ceremonialem, sed etiam
moralem. Jam si opera legis excluduntur, multo magis opera
propriæ adinventionis & electionis. Nam frustra Deus colitur
mandatis hominum, *Matth. 15. v. 9.* Quemadmodum igitur
nullum opus ex se justificare potest: ita quoque nullum opus, à
Christo acquisitam justitiam apprehendere potest. Unde *Rom. 3.*
v. 20. ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram eo,
Gal. 2. v. 16. Non justificabitur homo ex operibus legis, nisi (sed)
per fidem Jesu Christi. Et nos in Christo Jesu credidimus, ut ju-
stificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter
quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.

33. Jam si homo justificatur fide absque operibus, & qui-
dem legis: necessario sequitur: SOLA fide hominem justifica-
ri. Quam enim commutationem aliam dabit homo pro anima
sua? *Matth. 16. v. 26.* Cum frater fratrem redimere non possit,
Psal. 49. v. 8.

34. Quod non sic accipiendum est, quasi fides justificans
unquam sola sit, vel esse possit, absq; bona conscientia, vel bene
operandi studio. Nam in Christo Jesu, neq; circumcisio aliquid
valet, neq; præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur,
Gal. 5. v. 6. Quoniam fides sine operibus mortua est, *Jac. 2. v. 20.*
& ex operibus fides cōsummata est, *v. 22.* Fides enim nostra tan-
quam lux quædam, sic lucere debet coram hominibus, ut vi-
deant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum, qui in
cœlis est, *Matth. 5. v. 16.*

35. Quare propositio hæc: Sola fide hominem justifica-
ri, diligenter in Ecclesia retineri debet, sed rectè declarata: ne
vel causæ concurrentes, quales sunt gratia Dei, & meritum
Christi, vel studium bonorum operum, & exercitia pœnitentiæ
excludi videantur. Nam benè fundata est in scripturis, & testi-
monium habet veteris Ecclesiæ: nec ea abjecta puritas hujus
doctrinæ, tam necessariæ, conservari potest.

36. Atqui Jacobus Paulo contradicere videtur, inquiens: Videris quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum? *Jacob. 2. v. 24.* Respondemus: Nulla est contradictio. Paulus loquitur de justificatione coram Deo. Jacobus de declaratione justitiæ coram hominibus. Paulus etiam loquitur de fide justificante. Jacobus de fide historica, qua creditur unus esse Deus, *Jac. 2. v. 19.*

37. Causa materialis nostræ justificationis est justitia Christi, non essentialis illa divinæ vel humanæ naturæ, qua ipse pro se justus est: sed acquisita illa, quam ipse tanquam Mediator Novi Testamenti, agendo & patiando comparavit: quæ est plena & perfectissima obedientia legis. Hæc est plenitudo ejus, de qua nos omnes accipere oportet, gratiam pro gratia, *Joh. 1. v. 16.*

38. Causa formalis est acquisitæ justitiæ Christi, credenti facta imputatio. Quod sic accipiendum est: Nos omnes obligamur Deo ad obedientiam, vel ad poenam. Obedientiam neque præstitimus, neque præstare potuimus. Debeatur igitur nobis poena. Eam poenam Christus obedientia sua passiva pro nobis persolvit, *Psal. 69. v. 5.* Quæ non rapui, tunc exolvebam, *1. Cor. 6. v. 20.* Emti estis precio magno, *Hebr. 9. v. 12.* per proprium sanguinem semel introivit in sancta, æterna redemptione inventa. Passiva hæc obedientia Christi fide apprehensa, & à Deo imputata, nos ab æternis poenis liberat, & temporales omnes in calicem salutis convertit. Hoc est quod *Esaias 53. v. 5.* dicit: Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum: & livore ejus sanati sumus.

39. Porro autem nos liberati de manu inimicorum nostrorum, denuò obligamur, ut serviamus illi in sanctitate & justitia, coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ, *Lucæ 1. v. 74.* Debito-

bitores sumus non carni, *Rom. 8. v. 12.* Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati, in conspectu ejus, in charitate, *Ephes. 1. v. 4.* Atqui in renatis etiam caro concupiscit adversus spiritum, *Galat. 5. v. 17.* Ego carnalis sum, inquit Paulus, venundatus sub peccato. Non quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio, *Rom. 7. v. 14.* Et noti sunt gravissimi lapsus hominum sanctissimorum. Justus in die septies cadit, *Proverb. 24. v. 16.* Christus verò legem implevit, ut justificatio legis in nobis impleretur, *Rom. 8. v. 4.* Obedientia igitur Christi activa, fide apprehensa, & nobis à Deo imputata, tegit omnem nostram imperfectionem, & maculatam illam tunicam carnis, *Juda v. 23.* quam deponere debebamus: sed non omninò potuimus. Cui igitur sua fides in justitiam imputatur, ille obedientia Christi tum Activa, tum Passiva adversus Dei judicium munitur: & habet quod sibi gaudeat, de iniquitatibus suis deletis, & reducta justitia sempiterna, *Daniel. 9.*

40. Minimè igitur existimandum est, Christum tantum abstulisse malum, non etiam restituisse bonum; aut in sanguine Christi justificatos, *Rom. 5. v. 9.* & per mortem ejus Deo reconciliatos, *v. 14.* adversus imperfectionem novæ obedientiæ nullum in innocentia Christi solatium repositum habere, aut etiam tantam novæ obedientiæ dignitatem esse, ut non undiq; convestita obedientia Christi activa, in conspectum Dei venire possit. Certè pro remissione peccatorum omnes sancti ad Deum orant, *Psal. 32. v. 6.* fide Domini nostri Jesu Christi: quod frustrà fieret, si fides in Christo non inveniret adversus quotidianos lapsus, & vitæ novæ imperfectionem remedium: plenissimam nimirum legis obedientiam.

41. Finis justificationis ultimus est Gloria Dei, *Ephes. 1. v. 5.* Prædestinavit nos in adoptionem filiorum, in laudem gloriæ gratiæ suæ. Proximus est cujusq; hominis credentis propria

salus, *1. Pet. 1. v. 9.* ut reportetis finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.

42. Subiectum justificationis est H O M O impius: sed à Deo conversus, *Jerem. 31. v. 18.* Converte me Domine, & conver-
tar. Nos enim ipsi non sumus idonei cogitare aliquid (boni) à nobis, quasi ex nobis, sed *ἡ χάρις* nostra ex Deo est, *2. Cor. 3. v. 5.* Et Deus operatur in nobis *καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν* pro beneplacito, *Phil. 2. v. 13.*

43. Ipsa autem iustitia, qua justificatur impius coram Deo, non est iustitia carnis, nec obedientia nova. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus, *Luce 17. v. 10.* Sed iustitia Christi, tum activa, qua legem pro nobis implevit, *Rom. 10. v. 4.* tum passiva, qua pro nobis maledictum factus est, ut nos redimeret à maledicto legis, *Gal. 3. v. 13.* Iustitia igitur illa, qua homo peccator coram Deo justificatur *πρωτως* inest Christo, & quidem formaliter ac subjective: *δικαιοσύνη* nobis, sed imputata.

44. Iustificatis igitur fide coram Deo, non imputantur sua delicta, *2. Cor. 5. v. 19.* sed imputatur eis iustitia Christi. Efficiuntur iustitia Dei in ipso, *v. 21.* Et dum iustitiam Christi fide apprehendunt, in sanguine agni lavant & dealbant stolas suas, *Apocal. 5. v. 14.* & Satanam vincunt propter sanguinem agni, *Apoc. 12. v. 11.* Sanguine Christi emundantur ab omni peccato, *1. Joh. 1. v. 7.* iniquitates eorum delentur ut nubes, & peccata ut nebula, *Esaiæ 44. v. 22.*

45. Adjunctum justificationis perpetuum est donatio Spiritus sancti: qui accipitur ex prædicatione fidei, *Galat. 3. v. 2.* Estq; Spiritus gratiæ & precum, *Zachar. 12. v. 10.* varia efficiens dona in iustificatis, quæ vocantur fructus spiritus, *Gal. 5. v. 22.* & continentur appellatione sanctificationis.

8
46. Effecta justificationis sunt, quòd habemus pacem apud Deum, *Rom. 5. v. 1.* & servabimur ab ira, *v. 9.* quòd nihil nunc damnationis est in iis qui sunt in Christo Jesu, *Rom. 8. v. 1.* Vide plura ibidem.

47. Praxis justificationis exemplis quibusdam illustratur. Abrahamus credidit Deo, & imputatum ei fuit ad justitiam, *Rom. 4. vers. 3. Genes. 15. vers. 6.* Non pugnat Jacobus 2. vers. 21. dicens: Abrahamum justificatum esse ex operibus, offerens Isaac filium suum super altari. Nam loquitur de tali justificatione, propter quam Abrahamus amicus Dei appellatus est, quæ fuit declaratio justitiæ fidei: sine qua non potuisset amicus Dei, imò Princeps Dei, *Gen. 23. v. 6.* agnosci.

48. David beatitudinem hominis ita describit, ut ei Deus acceptam ferat justitiam sine operibus, *Roman. 4. vers. 6.* Petrus, *Act. 15. vers. 11.* dicit: Credimus per gratiam Domini Jesu Christi salvari, quemadmodum & Patres nostri. Eadem igitur est ratio justificationis, omnibus Ecclesiæ temporibus: quemadmodum *Hebr. 11.* multis exemplis sanctissimorum hominum ostenditur, sola fide Deo placere, accedentem ad ipsum, *v. 6.*

49. Paulus se ipsum exemplo proponit, *Philip. 3. vers. 7.* Quæ mihi lucra fuerunt, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta: ut inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est: sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est justitia fidei. Et ad *Galat. 2. v. 16.* Scientes, quòd non justificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi, etiam nos in Christo Jesu credidimus, ut justificemur ex fide Christi.

50. Firmiter igitur tenemus ac credimus, hoc ipsum, quod Paulus Logicè conclusit, partim ex consideratâ conditione tum hominis ipsius, tum legis divinæ: partim ex voluntate Dei, in Scripturis sacris expressâ, nimirum: FIDE (fiducia misericordiæ Dei propter Christum mediatorem) JUSTIFICARI
(in

(in iudicio Dei absolvi à poena & culpa) H O M I N E M (peccato-
rem, reum culpæ & poenæ) A B S Q; (& non, ut Syrus interpres
habet) O P E R I B U S L E G I S (non ceremonialis tantum, sed
etiam moralis: & consequenter quibusvis, quantacunq; specie
placentibus.)

Θεῶν δόξα.

ERUDITIONE ET VIRTUTE ORNATISSIMO
adolescenti, Dn. BERNHARDO CONRADI, amico &
populari per dilecto.

TU R P E foret, quisquis peregrinis vivit in oris,
Moribus ut redeat cultus & arte domum.

Nobile si tempus transmittat inutile, sana
Et redeat vacuus cognitione domum.

Hæc animo volvis memori popularis amice,
Qui studiis totus nocte dieq; vacas.

Artibus haud satis est animum coluisse, loquelis
Diversis patriæ posse placere tuæ.

Majus opus sudore morves, mysteria magna
Rimarum summi prompta Patris gremio.

Mens humana suo quæ non edocta cerebro,
Auribus aut oculis nec patuere hominum.

Quæ ratione Deus mortali semine natos
Pertrahat ad nitidi culmina celsa poli.

Quàm benè, quàm doctè proponas talia, præsens
Fasciculus thesaurum quemq; docere potest,

Perge, nec impediat labor ullus, patria dulci
Exceptum poterit grata beare sinu.

ἀντιλογεῖσθαι ἀκκινεῖσθαι Gerhardus Stenius
Schuttorphiensis.

F I N I S.

☞(*)☞



sunt, quòd habemus pacem.
Iurab ira, *v. g.* quòd nihil nunc
Christo Jesu, *Rom. 8. v. 1.* Vide